



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

2714

ORATIO

FVNEBRIS IN OBITVM

D. Erasmi Roterodami, Autore

Gulielmo Insulano Menapio

Greuibrocensi, oratore

luculentissimo.

Τοῦ αὐτοῦ Epitaph.

Postquam doctiloquus fatis concessit Erasmus,

Visa sibi est pietas religioque mori.

Anno. M. D XXXVI.

ILLVSTRIS- SIMO CLEMENTISSIMOQVE

PRINCIPI ET DOMINO D. GVLIELMO,

Duci Cluie, Iuliarum & Montis, Comiti à

Marca & Rauensburg, &c. Guliel-

mus Insulanus prepositus ec-

clesiæ diui Adalber-

ti Aquensis.

S.P.D.



VM PROXIMIS DIEBV

nunciata mors Desiderij Erasmi Ro-
terodami fuisse à nonnullis ipsius no-
minis amantissimis, sanè, pro eo ac-
debui, plurimum indolui: non ipsius
quidem causa, quem speramus enau-

gato hoc turbulentissimo pelago illius tranquillissimi
fœlicissimiq; soliditatem littoris contigisse: nec mea etiã
ipsius, ut qui una atq; altera congressione & literariũ
mutuo officio, non etiã familiaritatis iure mihi con-
iunctus fuisset, ut, quod multi solent, absentie desiderium
egre ferrem: sed Reipub. Christianæ uicem deplorau-
mus, cuius ille spes & uota in medijs omnium expecta-
tione præcidisset: Iam enim erectis omnium animis ad
future synodi œcumenicæ celebrationem multi in eam

discesserant opinionem, ut spererant Erasmi autoritate
officiūq; Reipub. Christiane plurimum momenti allan-
turum: quippe comperta erant hæc omnia, fides, pietas,
religio, doctrina, eloquentia, consilium, dexteritas, &
quam hic etiam ualere credas, singularis & infracta in-
genij libertas: non enim odio cuiusquam aut similitati-
bus concessit, non etiam gratie quicquam condonauit.
Quarum ille uirtutum omnium cōmendatione ac præ-
sidio fretus, utilis profecto uir rebus gerendis fuisse ha-
bitus. Verum quoniā aliter uisum diuine uoluntati est,
eui reluctari uelle, non solum nefas, sed etiam habeatur
inutile, interim cōmunis fragilitatis ac sortis memores,
presentem casum equo animo feremus, & quod saltem
superest, supremum officium pietatis mortuo Erasmo
persoluemus. Orationem igitur lugubrem in ipsius no-
men & laudem à me quatuor uix dierum spacio com-
positā celsitudini tuæ dedico. Sed caue putes, illustris-
princeps, me hac tam leui opella ac tenui munere solida-
dam gratiam apud celsitud. tuam inire uelle. Omnem
meam fidem, industriam, studium, diligentiam posthac
celsitudini tuæ deuoueo consecroq;. Quod tamen dum
facio, minimam partem beneficiorum, quibus ego meiq;
gentiles sumus ex ista domo illustrissima affecti, mihi uis-
deor affectus. Spero autem, Illustris. princeps, illius
uiri honorificam commemorationem à nobis factam nō
ingratam, recordationem uero etiam iucundam celsi-

ladini tue fore, cuius tu nobiscum uiuentis doctrinam ab
reliquis uirtutes tanti facere solebas. Spero etiam fore;
ut ipsius gratia, qua apud celsitud. tuam plurimum ual-
luit, operi meo commendationem aliquam afferat, ut si
quid minus officio prestitero, ipsius me gratia ab offensa
sa. omni uindictet. Sed iam pergemus Erasmi nostri cau-
sam agere, tum à nobis ornandi, tum uero tuendi etiam
aduersus indignissimas quorundã male feriatorum con-
tumelias. Nam si alterum horum omisimus, non satis
integre officio functi uideamur: qua ratione fiet, ut par-
tim occultas, partim apertas similtates quorundã emu-
lorum mihi subeundas intelligam. Sed plus apud me ob-
tinuit charitas communis nationis, cuius ego hic uicem
in referenda Erasmo gratia fungor, quam metus
impendentium calumniarũ. Deum Opti-
mum Maxi. oro, ut celsitudinem
tuam diu nobis supersitem
esse uelit. Coloniae De-
cimo quarto Calen-
das Septem-
bris.

ORATIO FV

NEBRIS IN OBITVM DESIDERII ERASMI

Roterodami, à Gulielmo Insulano conscripta.



Qvod egregijs statuarijs usu uenire solet, auditores optimi, ut in lapide nobiliore, ceu pario aut porphyretico, aptius clariusq; artificij sui monimenta edant: quippe ij lapides ob mollitudinem suā magis fingi duciq; sunt habiles, Et nobilitas materie operi ipso dignitatem quandā addere uidetur: idem mihi hodie cōtra accidisse intelligo. Obijt mortem diuinus ac incomparabilis uir Desiderius Erasmus Roterodamus, in quo tot simul cōcurrunt uirtutum ornamenta, ut si illa nō dico attollere aut amplificare uerbis, sed summatim oratione perstringere uelim, omnis et uis atq; facultas dicendi q̄ in me est (quā quidem fateor nonnihil exercitatā) parum sufficere mihi posse uideatur. Itaq; quæ res alijs oratoribus solet asserre commoditatem quandā, ut facultatem copiāq; dicendi materia summinifret, eadem res est impedimēto mihi: dubitanti uidelicet, unde initiū sumere aut quē cursum tenere in tanta multitudine uarietateq; Erasmi ornamentorū debeā. Nec uero, licet circo ab instituto proposito sum absteritus, quin studijs potiusq; quorundā Erasmi nominis amantiſsimorū obtemperarem, qui officij nostri esse duxerunt, ut dolerē me

ORATIO FVNEBRIS

roremq; ex amissione tanti uiri animis nostris conceptū, palam etiam testaremur: pietatis uero, ut incredibiles ac diuinas eiusdem uiri uirtutes publice quoq; funebri laudatione psequeremur. Gratitude quin etiā nostræ esse deputauerunt, ut quæ sciremus copiosissime amplissimeq; de uniuersa Germania promeritū, eiusdem merita honorifice cōmemorando uicem utcūq; redderemus. Quod si hic aut laudes Erasmi pro sua dignitate amplitudineq; uerbis meis nō adæquauero, (nam quis hoc se facturū confidat?) aut desiderijs uotisq; familiarū, qui supremū hoc pietatis officium Erasmo à me præstari postulauerūt, uel spei expectationiq; uestræ, o auditores, nō ubiq; satisfecero, meminertis, nos in hac insolita palæstra funebriū orationū texendarum hæcenus nondū uersatos: sed in hoc tam præclaro eximioq; uiro primū nos, quid hic forte possemus, periculum facere cœpisse. Cæterū quod ad nostri studiij institutiq; rationē attinet: tametsi hunc morem habendarū funebrium orationū publico cōsensu nondum Germania recepit, ppter ea q; uirtus oēm fructum suū ex conscientie testimonio petat, eoq; contenta theatri plausum non requirat: tamen si doctæ antiquitatis usq; æmuli esse uouerimus (sicuti plerique uolumus) cōstat certe sapientissimīs probatissimisque uiris olim placuisse clarorū uirorū egregie res gestas pro concione post mortē honestare. Et istud genus ornamentorū ad excitationē posthorum plurimū ualere semp est antiquitas opinata. Verum enim uero pri-

IN OBITVM ERASMI.

usq̄ ad rem ipsam ueniã, uos prius precatus accedo audie-
 tores, ut me de Erasmo uerba facientem æquis attentisq̄
 animis accipiatis. Nec ego hic in cõmunem partẽ inuidiẽ
 rapiar, qua scimus illum, dum adhuc spirabat, plus nimio
 grauatũ fuisse. Ego porrò sic totã seriem præsentis oratio-
 nis attemperabo, ut ueræ laudi oĩa, falsæ uero aut simulæ-
 te nihil tributum esse uideatur. Concedat igitur inuidia
 ueritati, si nondum, quod alias tamen solet, cessit morti.
 Ortus est Erasmus, auditores optimi, ex oppido Roterodamo
 Batauiæ: nam sic Hollandiam patriã uult uocari in
 calce Chiliadum suarũ, fide ac testimonio certorum pro-
 batiss. autorum fretus. Natus est parentibus modicis, sed
 honestis: Qui tamẽ, si equestris ordinis titulos et insignia
 ambiisset, potuisset ea facile ac suo merito consecutus (id
 quod de Catone Censorio etiã legitur) oẽm suam posteritatem
 primus eques nobilitare: sed nõ quæsiuit ille extrin-
 seca uirtutũ insignia, qui se satis ornatũ nobilitatũq̄ sola
 ipsa uirtute putaret. Statim cũ ex ephœbis excessit, Da-
 uentriam celebrem tunc locũ ad capeßendũ ingenij cultũ
 est profectus. Eo loci audiuit Alexandrum Hegium uirũ,
 ut illa tempora ferebãt, satis instructum philosophiæ stu-
 dijs, nec tamen Græci sermonis expertem, singulari præ-
 terea pietate sanctimoniaq̄ præditum. Et coeperant tum
 quidem bonæ literæ, quæ consq̄ apud Germanos in tene-
 bris & squalore iacuerãt, caput erigere, uisq̄ est aliqua
 lux bonæ spei affulgere. Cõmodum igitur ac certe fatorũ

ORATIO FVNEBRIS.

benignitate quadā accidit, ut in præceptorem tam doctū atq; integrum Erasmi ingenium docile, fecundū & adhuc tenerum incideret, & ē iacta adhuc tenuiter semente tamuber lætaq; seges surgeret, quæ sparsim diffusa multiplicataq; olim fœnus copiosissime redderet: id quod fertilis beneq; culti agri propriū est, ut plus multo reddat quàm acceperat. His tam lætis auspicijs cum feliciora quotidie incrementa succederent, & pro captu ætatis, proq; illorū temporum cōditione satis sibi profecisse Erasmus uideretur, iam certū aliquod genus uitæ & professionis sibi diligendum statuit, in quo reliquum ætatis perageret. Recipitur igitur in quodpiam monasterium apud Batauos ordinis Canoniorum regularium. Sed qui corpore esset imbecillo per omnēq; uitam ualeudinario, uictus cōmunis ac promiscui incōmoditates ferre non poterat. Itaq; ab eo instituto uiuendi est discedere coactus: Atqui hinc nānulli homines arbitrati sunt pulchre sibi datam materiā huius tanquam desertoris carpendi. Quod tamen ego consiliū factumq; ipsius non solū non in contumeliā, sed etiā laudem uertendum esse censeo, ut qui conscientie stimulis angereetur, si equato iure cum ijs uiuere uellet, quibus cum non posset, & altioribus melioribusq; rebus destinatū ingenium illud suum nosset. Non tamen minore uitæ sanctimoniam ac puritatem uixit, quā prius solebat. Quod si solitudinis nomine monastica uita probatur, queso tandē, nā hic tibi fastium & strepitum externarū rerum secutus uis

IN OBITUM ERASMI.

Uetur, qui perenne illud & solitariam ocium utilitate
 cōmuncem studiorū contulit. Laudetur, probetur, colatur
 solitudo, sicuti certe decet: plus tamen qui sis, quā ubi sis,
 refert: Et si uita ista exterior, plures in se habet illocebras
 peccandi, tanto magis in ea innocenter sancteque uixisse est
 laudandū; Sed in hac parte, auditores candidi, nō diutius
 immorabor, ne fortassis occasionem dem cuiusq; lentis
 noui enim licentiā horum temporū & precipites in mala
 occasiones. Me certe autore non fiet, ut quenq; pœdicent
 sue uocationis, ut istorum notabulo utar, quoad aliud eō
 modius inuenietur. Factus igitur libertatis pristinae com-
 pos & suimet iuris Erasmus; reliquum deinde tempus suū
 ad studia sapientiæ retulit, quā uestigijs oībus persequen-
 dam. ratus multas ipse ac longinquas nationes adiit, idq;
 Platonis, Pythagore, Tullij, Hieronymi Stridonei, alio-
 rumq; multorū philosopharū exemplo; quos legimus ad
 remotissimas partes orbis terrarū discendi studio descen-
 disse; Simul arbitrati hac ratione multarū se rerum habita-
 tuos peritiam, sine qua perfectam sapientiā nos consequi
 posse dubitant Peripatetici, negat Homerus: Quocunq;
 igitur Erasmus sese deinceps conferret, ad modum mercat-
 torum preciosas merces in ordinem ostentantium, quo po-
 pulo gratum amœnūq; spectaculū præbeant: ita ipse opes
 suas spectandas attrētandasq; passim exhibebat. Iam enī
 ingenij doctrinaeq; sue copiam factururus ausus est etiam li-
 terarum monumentis animi sensa credere mandareq;

ORATIO FVNEBRIS

Verum quæ ita cederet, non specimen indolis futuræ, sed perfecti cõsummatiq; iudicij argumentũ de se reddcbant. Nec uero illa etate Erasmus abusus est ad lasciuiam et intemperantiam in scribendo, sed quasi initium suorũ scriptorum auspiciatus à libello de contemptu mundi, iam tum spei documenta præbuit, qualis post hoc proœmium superior actus esset futurus, quamq; felicem euentum tam gratum iocundũq; auspiciũ portenderet. Scripsit etiam in ea etate de copia tum uerborũ, tum rerum perutile ac necessariũ opus iuuentuti. Scripsit tum præterea formu- las colloquiorũ familiarium teneræ etati dicatum libellũ: sed cuius lectionis grandiores natu merito non pigeat. Adco nullas partes hic uir omisit iuuentutis studiosæ sibi demerendæ. Intelligebat uir sapiens quantopere referret castam literis & moribus efficere primam illam etatem. Itaq; tum Erasmi nomen inclarescere & celebrari ubiq; cœpit, ut beatos se putarêt, quibus modo cõtigisset huius uiri congressũ ac familiaritatem perfrui. Apud Britannos autem postremã adolescentiæ partem peregit, delectatus amœnitate insule, & studijs atq; cõmertiõ incolarũ, quibus cum magis suo ingenio conuenire sentiebat. Ibi primã contracta ei familiaritas cum quibusdã doctis uiris Londini & Oxonij, quibus in locis aliquandiu cõmoratus est, sed ita cõmoratus, ut discedens Insulam illã suo beneficio & opera multo q̃ antea reliquerit eruditiorẽ. Inde in Gallias Parrhisios concessit, postea in Italiam cõmigrat

IN OBITVM ERASMI.

ait: sed ita, ut aduentum suū presentie desiderium, desiderium autē presentie fama praeueniret. Nihil usq̄ celcius auditores, nihil uiolentius fama egregij & illustris hominis: quae ubi semel uiam sibi facere ad ulteriora coepit, grassatur, perrumpit, peruadit quicquid usq̄ forte obijcit maluolentia inuidorum, nec angustiis se terminis cōtineri patitur. Ad Erasmum redeo, qui aliquanto tpe Bononiae persistit studiorum causa. Ibi uenit in familiaritatem Scipionis Carteromachi Pistoriensis, Pauli Bombasij, Philippi Beroualdi, qui quidem eo loci cū magna nominis sui celebritate tunc uersabantur. Quanto deinde sit in honore ac precio habitus Romae, Venetijs, Patauij à summis amplissimisq̄ uiris quibusdam, is facile cognoscet, qui sarracenicam epistolarū Erasmi ad doctos, doctorumq̄; certorum uirorum ad eundem legerit: quo minus necesse habeo hic diutius immorari. Nec tamen haec tam longa ac difficilis peregrinatio suo fructu caruit, inter equitandū meditabatur cōmentabatur, componebat semper aliquid dignū suo ingenio & aliorum lectione. Bibliothecas quinetiam perambulabat passim, ut si quid erudite uetustatis usquā esset, cognosceret: quo uero loci, ubi consertas ac uetustas Bibliothecas esse audierat, peruenire ipse nō poterat, eo mittebat, Catalogum librorum sibi dari postulare solitus, ex hisq̄; deligenis quibus sibi opus fore intelligebat. Ita & subsistendo & peregrinando semper aliquid ex sese ingenium illud faelix protulit, ne tempus & ocium inutiliter

ORATIO IUNEBRIS

legi fueret. Circumactis igitur annis aliquot in hac honesta simul ac laboriosa exercitatione & ipso iam *Vlyssa* quadam sapientia cognitioneq; plurimarum rerum confirmato, mentem deinde animuq; ad altiora transiit. Et iam tum quidem secum coquere coepit *Chilides* Adagiorum ingentis melis ac laboris, sed non minoris utilitatis, uolumen. Sic existimate auditores, neq; enim errabitis. Quicquid usquã est ueterum perreptiarum, adagiorum, prouerbiorum, schematum, allusionu uenustarum, apud *Græcos*, apud *Latinos*, in sacris, in prophanis libris, eo uolumine comprehendendi. Assim profiteri, Eum, qui hunc librum non legerit, inter doctos uiros haberi non posse neq; debere: qui uero negligat, hostem illum esse bonorum studioru, Perfecto igitur hoc opere et sacris literis animu magis ac magis applicans, in quibus suauiore melle dulcedinem se inuenisse solebat predicare, statim sese accinxit ad nouum testamentum uniuersum ac authores quosdam instaurandos. Erigitur officina libraria *Basilæ* *Erasmi* studio & opera, sumptibus uero *Ioannis Frobenij*, unda quanta prodierit utilitas in uniuersum orbem terrarum, nemo fere est omnium, qui ignorat. Et excudebantur quidam libri singulari ac eorumq; nondum uiso nitore mundicia & characterum. Accedebat studium & diligentia autores ipsos quam emendatissimos reddendi, in cuius societatem laboris *Erasmus* iuuenes quosdam egregie doctos ac impigros assererat: Aggressus igitur ipse nouum testamentu

IN OBITVM ERASMI.

inuersum scholijs & paraphrasibus illustrare, multum certe in eo genere scripti ueræ laudis inuenit. Et profecto pulchre conuenire uidebatur, ut tam excellens ac diuinum ingenium in argumento se digno uersaretur: & quæ aliàs ubiq; cminere cernebamus, quasi is extra se raptus cum nihilominus ipsis quid cõmune haberet, ita seipso maiorem sublimioremq; factum uideremus. Multa certe cum religione ad scribendũ accedebat, prius à deo, fonte ac principio omnis boni, precatus mentẽ sibi largiri recta uerãq; sentiendi, & quæ à se forte scriberentur, publico ea bono uulgari legiq; plurimũ siquidem tribuere precationibus assiduis solitus erat, nec immerito, quandoquidẽ nulla res decum magis conciliat hominibus, modo ne ipse dubitationis scrupum apud nos inueniat: dubitatio namq; diffidentia significat, diffidentia curationem omnẽ respuere uidetur, unicam scilicet salutis uiam: ut non præter causam Paulus tam sapientia quã religione præditus uir Hebræis scripserit magnam esse remunerationẽ fiducia. Sed de hoc aliàs, ac fortasse cõmodius. Ad Erasmum reuertor, qui licet hoc modo scribendo, docendo, monendo, alijsq; id genus optimis artibus Rempub. Christianam arctissime sibi deuincta ret, obtinere tamen pro tot tamq; egregijs meritis atq; officijs suis non potuit, ut ab emulorum calumnijs remaneret intactus. Tulit scilicet tam gloriosis successibus inuidias inuidia, non etiam nocuit. Irrequietum malum inuidia ac summorũ uirorum capitibus perpetuo imminens

ORATIO FVNEBRIS

humiles, sordidos, miseros prætermittit, summa queq; in morem fulguris petit. Quam reperio uanam, quod tamen à doctissimo grauisimoq; uiro quodam traditum accepi, ut qui sit incomparabili doctrina, supraq; cõmunibus manum modum atq; intelligentiam, eundem etiam positũ extra aleã inuidia: propterea, quod æmulatio & contentio illic solent esse, ubi alius alium non ita multis gradibus antecellit. At quam falsa sit ea persuasio, hic noster abunde suo exemplo docuit. Namq; a plerisq; quos ipse innumeris parasangis præcurrebat, ad mutuũ certamen sæpenumero est expetitus. Quorum si qui sunt infimi ordinis, putes lixas aut uelites aut etiam tyrones, hos omittemus. Classarios quin potius & triarios & ueteranos in hanc aciem educemus. Nam, ut ab hoc ordiamur, quis unquã mentes animosq; ordinum, populorũ, nationum omniũ plus in se conuertit, quã quodam tempore Martinus Lutherus? Atqui huius uim acrimoniamq; scribendi, qua plurimum certe poterat, sensit Erasmus, Omitto iocandi licentiã & intemperantiam inuehenã pietate ac modestia Martini parum dignã: Qui tamen qua gratia uicissim ab Erasmo sit receptus, non habeo necesse dicere, Lutherum tantum suimet iudicij admonebo, quod uidelicet paulo plus quã nudum & ambitiosum strepitum uerborũ in Erasmi scriptis offenderit, ac fortassis sua etiã expectatione eruditio nem maiorem. Id quod in promptu sit ijs etiam uidere, qui Erasmi hyperaspisten forte legerint de gratia & libro

IN OBITVM ERASMI.

arbitrio. Sed uenio ad Leum. Cui apud Britannos nominis fama inter Theologos olim cecit Edoardus Leus? Nec mini, opinor, aut certe paucissimis. Atqui ab hoc Erasmus acerbe & petulanter adeo est irritatus, ut nisi Apologia sua in hoc edita calumnias illius refutasset, periculum nominis subiisset. Quis in Gallia Lugduncensi agens non audivit Stephani Doleti nomen? uerum hic sili sui cuspidem in Erasmus conuertit quoq;. Nec uero id impune tulit: Reiectus namq; ita est, ut pro sperato triumpho infamiam scite cõuiciandi retulerit. Est quispiã præterea Parrhisys, auditores, Natalis Beda è collegio Sorbonico: is siue priuato studio siue publico noie, (intelligo enim hoim forte fortuna prouectum ad censuram hærescos, suspicor tamen cõmendationẽ audaciẽ suffragatã homini ad eum honorẽ fuisse, propterea quod hoc munus hodie à quibuslibet non libenter suscipitur) is, inquam, pro sua diligentia obseruauit, collegit, annotauit ex ordine certa quedam loca in Erasmi libris hæretica & hæresin sapientia, nam quedam ut non sint hæretica, ita uoluit hæresin resipere, ut uina aceti sapore si in uascula saporis acetosi fundantur. Verũ q̃ non bene ea res Natali Bedæ uerterit, iudicent ij, qui utriusq; scripta simul forte contulerunt. Sentient Erasmi mentem interdum nõ satis diligenter à Beda perpensam, nonnunq; etiam male intellectam. Per id tempus cum hæc contentio cum Gallis ferueret, subortus etiam Romæ quidam est Iacobus Stunica lopes Hispani generis, qui nos

ORATIO FVNEBRIS:

*Pro huius nō parceret. Verum illius conatus impediti sunt
 & insolentia cohibita doctissimorū quorundam uirorum
 intercessione, qui Erasmi causę equitatem fovebant tue-
 banturq;. Nam cum Iacobo Latio postea melius conue-
 uenit Erasmo, cū ad arbitros res relegata fuit. Et hic erat
 ex Gallogermanis. Eisdem uestigijs ingressus est Alber-
 tus Pius Carpus, non ille quidem solidis testimonijs sacra-
 rum literarum fretus, ut quas non nosset, sed certa quadā
 facultate doctę carpenti usus, ut non simili argumento sta-
 cut Antonus Commodus imperator incōmodi sed. a car-
 penda Carpi cognomentum meruerit: nomen gentilitiū,
 sed moribus Alberti alioquin debituū. Verum huius quoq;
 euillationes Erasmus pulchre elisit. Sed piaculi loco ha-
 beat, si te Huldricę Huttene in hoc albo præmittā.
 Nam tu quoq; facundię tuę uolentia torrenteq; illo scri-
 bendi impetu in Erasmi nomen incurristi. Sed eo, me heri-
 cle, ingratius, quo ampliū. ipsius præconijs & honorifi-
 centiū. elogio ante fuisses conspectior ornatiorq; factus.
 Et addebat quidem animos Hutteno fama satis feticitę
 parta, & generis nobilitas, blanda ipsa fauorum concilia-
 trix, insuper subsidiarię sociorum cohortes & quorun-
 dam acclamationes nouis rebus studentium. Quibus ille
 opibus fretus, uidebatur unus omnium idoneus, qui cor-
 ticum oculos (ut est in prouerbio) configeret. Exposu-
 tionis & Asperginū nomine accusationes Hutteni cir-
 cumferebantur, tituli lenitate atrocitatem criminum mi-
 tigante:*

IN OBITVM ERASMI.

gigante: sed reuera nisi in asperginū locum spongia subi-
 isset, sempiternas maculas Erasmus nomini suo cōtraxis-
 set, adeo studio partium & persuadendi uiribus aduersa-
 rius ualebat: Succesit postea noua quorundam Argento-
 ratensium expostulatio, ad quā ideo minus mihi respon-
 dendum statuo, quod neq; cōmuni oīm nomine, neq; certo
 diffinitoq; autore exierit, & quod existimē plures eo loci
 fuisse, esseq; adhuc hodie, qui huiusmodi genus scripti siue
 quinum siue incolarum nomine prodijisse permolestē ferūt:
 Quid de Christophoro Longolio dicam nostri seculi Ci-
 cerone? nisi forte Iacobus Sadoletus palmā buius gloriæ
 sibi eripi indignetur. Ille in quadam epistola sua in sarras-
 gine epistolarū Erasmi contenta, dum nil se in Erasmo de-
 siderare testatur, is tamen est exitus totius disputationis,
 ut acer et cordatus lector facile cernat eum in hoc nostro
 aliqua desiderare, quæ omissa non oēs numeros integrent
 Hoc quid aliud fuit, q̄ sicuti adagio dicitur, sutorio atra-
 mento hoīem illū notare? Ecce aut̄ dum iam omnibus eius
 generis molestijs nobis pulchre defuncti uidemur, emergit
 aliquis Petrus Cursius Italicæ gentis orator: non ineptus,
 ille quidem, nec præseruidus etiam, sed magis fortasse gra-
 tiosus, nisi hunc nostrum sibi uellicandū sumpsisset. Non
 tamen ociose illius defensiones, reuera accusationes, ab
 Erasmo prætereuntur: Et quamuis ita indignis ac contum-
 eliosis modis ipse ab æmulis suis acciperetur, eandem ta-
 men modestiam cōstantiamq; animi retinebat, Christo oīa
 accepta referens, cui uni studia sua approbare cōgitabat;

ORATIO FVNEBRIS

Et inerat certe adhuc in pectore illo seniculo ardor iuuenilis roburq; uegetum, Prasagierat animo multo ante, ac uiderat ceu per caliginem uir prudentissimus, aliquando futurum, ut studia æmuloꝝ inuidioꝝq; aduersus se erigerentur. Cæterum cum hæc iam coram apparent, nihil ipse est conterritus, qui aduersus hos insultus armis theologicarũ philosophicarũq; rationũ paratus instructusq; aduenrat, nullorum simultatibus quicq̃ remisit, irritatus semp̃ sese ulciscitur, nec quicq̃ à consueta libertate ingenij sui recedit, modo Christi negocium agatur. Spectabat nix ille, sicuti ore et calamo identidem testabatur, nihil magis quàm gloriã dei unius. Ad quã prouehendam cum studiis, nota, cõsilia, actiones, cogitationesq; suas omnes referret, quid esset, quod inuidiam paucorum hoĩm pertimesceret, aut iniquitatem maliciosoꝝ aliquot sui animi uoluntatisq; interpretũ reformidaret? Non est nouum aut inusitatũ auditores optimi, uiros doctos inuidia laborare scilicet. Semper egregijs conatibus atq; factis comes fuit inuidia sempq; erit, dum mundus stabit. Renascatur Paulus, erũt, qui nimium in eo libertatis studium damnent. Restituatur Hieronymus, multos hodie in se cõcitabit, de ueneratione sanctorũ, eorumq; sustinendis imaginibus & reliquijs contendis precipiens. Cathedram suã repetat Gregorius, inuenientur, qui in eo neruos desiderent. Concionetur de nouo Chrysostomus, erunt qui insolentem aicacitatem in eo notent & morsus aculeosq; oderint. Descendat ad nos Lactantius, offendetur aliqui nimio ipsius studio propba-

IN OBITVM ERASMI.

nas literas cum diuinis miscendi, et plura alia in eo requirerent. Non satisfacit Cornelio Tacito Tullius. Non placet Asinio Pollioni T. Liuius. Homerum insequitur Zoilus. Platoni grauis est Xenophon. Vergilio dicā scribit Macrobius. Tyberius quinetiam Cæsar, alioquin nō indoctus T. Liuij & Vergilij libros imaginesq; è bibliothecis amoueri curauerat, nec multum abfuerat, quin incendio absumpsisset. Et ne in singulis psequendis inutiliter sim prolixus, nemo unus inuētus est, cuius studia iudiciaq; passim omnibus probarentur. Aliter uulgus hoīm, aliter sapientes sentiunt et loquuntur, aliter Euangelium docet, aliter philosophia pronuntiat, atq; hæc ipsa in plures easdemq; inter se repugnantes sectas abit. Accedit, q; ueris incorruptisq; iudicijs sæpenumero priuatæ affectiones uim afferunt: quibus, quia nusq̄ non laboratur, res eò reciderunt, quò uidemus. An uero dubitetis auditores, plures adhuc superesse facinorosos, alcatores, ganeones, decoctores in omnem occasionē aliena diripiendi intentos? At si ijs frugalitatem, modestiam, continentiā, sobrietatē persuadere uolueritis, surdo uerba, quod aiunt. Quid ita? quia aures ueritati clausæ sunt, quā animus nequeat admittere. Tale quiddam Erasmo in suis insectatoribus usu uenit. Dolebat Erasmo Theologiā ipsam ad summulas ac indices (reperitoria uocant) contractā, rem cōmodam ac cōpendariam pigris & indoctis. Male habebat præterea ipsum peruicacia ista contentiosarum disputationū, & inutilium quarundam questionum tractatio, unde cruditor quā melior

ORATIO FVNEBRIS

*fieres, ac fortassis ne eruditior quidem: optabat tempus et
 operam, quam huic rei daremus, potius impertiri lectione
 ueteris ac noui Testamenti, lectioni uetustissimorum proba-
 tissimorumq; scriptorum ac interpretum sacrarum literarum,
 quos ea gratia pene oēs ingenti labore reposuerat: At cō-
 trā, aduersarij hoc studiū Erasmi detorq̄bant ad opinionē
 superbiæ, quasi doctissimos sc̄tissimosq; uiros cōtemneret,
 quos recentiora tempora nobis dedcrūt. Arguebant præ-
 terea ipsum inquietudinis cuiusdam, et libertatē scribendi
 referebant ad excitationem seditionis, publice testati, ab
 Erasmo porrigi sagittas, à Luthero torqueri. Rursus asse-
 cle Lutheri, ob omissam societatem, q̄ secum initurus cre-
 debatur, aperte de leuitate et p̄fugio ipsum accusare. Inter
 hæc quid faceret? in biuiō erat. Et quoniā decreto Solonis
 olim Athenis cautum erat, ut seditionum tpe ciues palam
 ostenderent, q̄ partem sequi uellent, idq; eo, ut factionum
 discrimina haberētur: ita Erasmus aliquñ pertesus impor-
 tunitatem & stultitiam eorū, à quibus quasi duplex habe-
 batur, sese manifestum iudicij uoluntatisq; sue interpretē
 cōstituit: editis in hoc operibus aliquot, de Eucharistia, de
 gratia & libero arbitrio semel atq; iterū: De inuocatione
 sanctorum, Exemologesin siue de confessione peccatorū,
 licitum esse Turcis repugnare. Scripsit item Apologias
 quasdam animi sui indices, et alios quosdā libros ea gratia,
 breuiter ad oīa crimina sigillatim respondet purgatq; sese
 egregie. Qui hoc est animo præditus, in acie ne hic stare
 dimicareq; an retro pedem referre, bonus fidusq; dux an*

IN OBITVM ERASMI.

cōtra perfuga tibi uidetur? Absit ergo auditores, suspitio eorum, qui putant Erasmus oīa sua iudicia ad occasione fortunæ accōmodasse ac rimam sibi semp reliquisse, per quā elaberetur. Nihil in eo fuit subdolū aut fucatu, uita, mores ingenium, scripta, ingenua & candida oīa, Sed hoc fateri cogor, stupidos aut rudes nōnūq̄ libertate Erasmi offendi Verum ij meminerint, quod de Tertulliano Hieronymus quoq; scribit, Erasmi cum iudicio esse legendū, et singulos libros de eisdem rebus forte agentes simul conferendos. Librorū uero ipsius tanta est multitudo, Auditores, quos aut cōscripsit, aut in latinā linguam cōuertit, aut scholijs annotationibusq; illustrauit, aut puriores emendationesq; nobis reddidit, ut si eos ex ordine cōmemorare uelim, uereor, ne hac quasi astutia quadā tempus uidear extrahere uoluisse, Vere mihi de hoc uideor predicare posse, quod de M. Varrone Aurelius Augustinus: Tam multa legit, ut aliquid ei scribere uacasse mirū sit, tam multa scripsit, quā multa quenq̄ legere potuisse credamus. Harū igitur rerū admiratione ac fama perciti reges, pontifices, principes, et barones totius penē orbis terrarū sibi huius uiri amicitiam expetendā ineundamq; ducebāt. Ad decus & splendorem noīs sui accessionē quandā ex Erasmi familiaritate factam arbitrati, nec uero quisq̄ eorū se liberalem ac magnificū haberi posse putauit, nisi in hoc uiro liberalitatis magnificētiaq; suæ exempla edidisset. Hac gratia ad eum pleraq; uascula argentea pulcherrimi & artificiosissimi operis mittebātur. Ingressus domū ipsius putare potuisses.

ORATIO FVNEBRIS

te uidere aedes aliquas superborū olim Corinthiorū, adeo ornate cælatis auratisq; opibus instructā abacū uidisses. Ne uero etiā sordide parcū fuisse credas. Splendore aedificiorum est delectatus, Friburgi nanq; cōtulisse ad impensam domus à se cōstructæ plus mille aureos nūmos fertur. In reliquis aut sumptibus faciendis, nōnulli nimū diligentes et accurati æstimatores rerum, uolunt ipsum minimæ q̄ nimie liberalitati propiorē fuisse. Sed q̄ ij puerse iudicent, facile aduertet, cui Erasmi cōditio fuerit aliquanto exploratior. Erasmus paucis admodū reditibus uiuebat, plerūq; sustentabatur liberalitate principū & bibliopolarū, qbus forte operā nauabat. Deindē infirmū illud & ualctudinarium corpusculū singulari quadā & exquisita curatione indigebat, q̄ nequeat adhibere, cui non abunde facultates suppetūt. Venit nūc mihi in mentē quorundā hoīm insulsā uanitatē ridere, existimantiū philosophi officiū esse, prorsus contēnere pecunias, hoc est, sua fortiter decoquere. Nō est hoc philosophū agere, auditorcs optimi: illius i primis est uirtutē colere, opes nō anxie nimū q̄rere, partis honestæ frui, ipsarū amissione non multū discrucari, qđ si oēs à se opes excludere remouereq; philosophus debet, non igitur philosophus fuit Pythagoras, nō Xenophō, nō Cato uterq; nō Plato, nō Aristippus ante naufragiū, nō ante postremū exiliū Cicero, nō Seneca, nō Plinius iunior, quos legimus admodū locupletes oēs fuisse, nō sua turpiter ac stulte prodegisse, amanda est enim mediocris opulentia, non superflua diuitie querendæ, ut in alios etiam, si oporteat,

IN OBITVM ERASMI.

mūnifici & liberales esse possimus. Fuit quāq; Diogenēs
 Cynicus: plusq̄ rustica rigiditate, non etiā disciplina phi-
 losophus. Fuit etiā Democritus: qui si hodie sese bonis oī-
 bus exuat, nec hoc contentus, se etiā exoculet, (ingratus
 & peruersus naturæ interpres) ipse res mortaliū ridere
 solitus, publico risu ē scholis exhibetur. Fuit etiam patrē
 nostrorum memoria Franciscus Philelphus: si quid ille ad
 rem: hic cū amplissimis stipendijs ob famā & auctoritatem
 noīs sui publice duceretur. Sexcentos nāq; aureos nūmos
 quotannis habebat successiue a Florentinis, & Bononien-
 sibus et Mediolanensi principe, tamen adeo inutiliter erat
 prodigus, ut cōsumptis bonis oībus, ad extremū pro bene-
 ficio habuerit, se in Xenodochium Mediolanēse recipi ibi-
 demq; mori. Hos si quis uelit philosophicam uitā egisse,
 ualeant simul ij philosophi et altū dormiant: nobis certe,
 ut alibi, ita hic quoq; mediocritas placet, & ut cuiq; ratio
 dati acceptiq; consistet, probamus. Sed quid? quod ciuilibus
 legibus olim decoctores & habebantur inter infames, et à
 publicis muneribus arcebantur? Et si enim prodigus tole-
 rabilior sanabiliorq; Aristoteli in Ethicis uideatur q̄ auar-
 rus, p̄pterea q̄, etas aliqd de hac luxurie demit, et disces-
 sio eorum, quibus nos charos putamus, & sumptuū ratio
 cautiōres nos, ad remq; attentiores faciunt: tamen stulte
 facit, qui huius reparationis necessitatē sibi ultro asciscit:
 non minus p̄fecto, q̄ si quis sibi met causam morbi afferat,
 quo superuenientē uires efficaciq; medicinae experiatur.
 Sed quorsum hæc oīa, diceres, tā longo ambitu cōquisita?

ORATIO FVNEBRIS.

Hæc simul eò pertinent, ut causam Erasmi defendã: & q̄ nonnulli cupiditatē, ego prudentiã frugalitatēq; interpre= ter: quod quidē eo diligentius me facere decet, ut defensio= nem eius in re cōtrouersa non omittã, cuius ornandi pare= tes mihi sumpseram, quoq; ipse à crimine cupiditatis semp̄ fuit alienissimus. Quod dum breuiter strictimq; facio, in= terim mihi operã detis, auditores peto. Erasmus qui usu et peritia multarũ rerum ualeret & in omnē partē erectus intentusq; esset, haud dubie rem ipsam recta reputauerat uia. Videbat fore uidelicet, si regũ ac principũ liberalitas sumptibus bellicis exhauriretur, ut cōsuetis ipse stipendijs fraudaretur. Nihil siquidē Marti cũ Musis. Atqui ita tan dem euenisse, non sine gemitu et dolore cōmemorare pos= sum, ut regũ opes se mutuò collidant atterantq;. Igitur si ipse ulterioris uitæ subsidia sibi retinuit neq; curiose que= sita & affatim undiq; oblata, q̄ repudiasse rusticitatis & inhumanitatis fuisset, suggillari ne igitur auaritiæ debuit? Minime oĩm, inq;. Etenim si opum ambiendarũ studio la= borasset, nunqd̄ illi decesse poterant summi opulentissimiq; magistratus ecclesiarũ, in quem quotcũq; ornamenta prin= cipes & antistites oēs contulissent, inferiora meritis ipsius deputassent: Sed nihil horum spectauit ille, cui deliberatũ fuisset ab institute uitæ ratione ne latũ quidem unguem, quod aiunt, discedere: hac gratia cũ illis conferendus, quo= rum pedibus pictores mitras et galeros subijciunt in argu= mentũ singularis despicientiæ rerũ humanarũ, cōtemp= tumq; honorũ, quos pleriq; omnes admiramur. Plato ille,

IN OBITVM ERASMI.

fectores, in sua repu. uult bene instituti ciuis officium esse, ut ab ambitione omni procul abstineat, ac inter bonos ciues facilius citiusq; fore contentionem de non suscipiendis quã de suscipiendis honoribus. Ita hic certe noster manibus pedibusq; obluetabatur, ne ecclesiasticorũ honorum ei administratio deferretur, tantũ abest, ut concupiisset. Sed non ero hic in re manifesta longior, ne uel de approbatione testimonij iudicijq; uestri uidear diffidere, uel soli, qd' aiunt, lumen inferre uoluisse: Et quoniã Erasmiũ satis superq; à nota auaritie uindicauimus, quatenus facultatẽ sumptuũq; rationem habeatis, reliquum est, ut quod prius cursim attigeramus, ualetudinis sue incommoda explicemus, quo cognoscatis maiores sumptus pecuniisq; ipsi in hoc fuisse necessarios. Nam qui intollerabili calculi & uesicae dolore per oẽm uitã laboraret, lauta & diligenti curatione opus habebat. Morbis uero curandis ac releuandis & interim resocillando corpore quãti sumptus sint necessarii, nemo facile agnoscit, nisi qui fuerit expertus. Nisi forte tyrannis crudeliores, nostrum at corpore parcere nolimus. Scitis opinor, renum morbos inter pertinaciores numerari, nec qui serere nisi cum uita desinant, eo interim dolores corporis uehementiores, (si singula singulis cõferantur) quanto uersus inum uentrem plus distant ab epigastrio. Renum uesicaeq; morbi maliciã in eo grauabant tussis & podagra. His itaq; malis concurrentibus ita sepe numero torqueri ac corripi Erasmus uisus est, ut præterq; qd' præcordia tenuem illũ & raris interuallis interruptũ spiritũ

ORATIO FVNEBRIS

redderent, uita adempta putaretur. Et accedebat senectus ipsa per se morbus habitus. Accedebant insup quotidianæ uigilie et nocturnæ lucubrationes, quibus cū corpus illud gracile & aridulū quotidie attereretur, admirabile nobis ac supra fidem cōmuncem uidebatur. Erasmus potuisse ad tantā etatem puenire. Septuaginta nāq; annos cōpleuit, adhibita supputatione annorum q̄ ipse facit in quadā epla ad Iacobū Hornensē. Cæterum Erasmus, qui oēs notiones naturæ suæ exploratas meditatusq; haberet, certa quadam ac exquisite artificiosa uictus ratione mederi sibi didicerat, ut qui ipsius uitæ tenorē insperisset obseruassetq; non ita multū desideraturus fuisset Marsilij ficini opus de uictu studiosorū legere. Et adiuuit quidem hominē in extrema etiamnū etate uita in uiridioribus annis frugaliter ac temperanter acta. Scite q̄dem ille, sicuti oīa: Adolescētia intemperans et libidiosa effœtū corpus tradit se necnūti. Verū qui publicis se utilitatibus promouendis natū arbitrarētur, nihil tamē de cōsuetis laboribus remisit. Cūq; iam alio sup alium supueniente morbo ad extremū dysenterie implacabili dolore miserabiliter torqueretur, ad se paulatim intestinis & modicus adhuc calor circa corpā p̄taret, spūsq; in summis præcordijs hæreret, & incredibile est usus patientiæ, & pari mentis cōstantia misericordiam dei interpellabat: nō longiores moras hic præstolatus, sed futuræ uite felicitatē expectans, ut in illius regionis aliquā possessionem aīa pueniret, ubi mens diu pegrinata fuerat, in hac uoce: Misere mei deus, de se iussit dicitur. Scripse-

IN OBITVM ERASMI.

rat biennio ferme ante obitū de præparatione ad mortem
 utilem sane oībus libellum. Qui igitur ita uixit, ut subinde
 se moriturū cogitaret: hic profecto ita etiā est mortuus, ut
 perpetuo uicturū se consideret. Sed O miserā humani ge-
 neris conditionem, O ineuitabilem necessitatem factorum.
 Vbi nunc cultus & honores Erasmo habiti? Vbi tot pon-
 tificum, regū, principum, optimatū studia et fauores? Vbi
 amicorū officia et humanitas, quibus ille adhuc senex re-
 creabatur, demulcebatur, sustinebatur? Vbi corporis ipsius
 dignitas? Vbi grauitas morum, quæ grata quadā facilitate,
 comitate, lepore condire solebat? Ad breuem celerēq; au-
 ram flos ille decidit, cælo Erasmus animā intulit, corpus
 terræ reddidit, nobis bonū odorem noī sui reliquit, nihil
 præterea secū tulit. Soleo nonnunq̄ mirari mecū, quod cū
 natura ceruis & cornicibus uiuacitatē longissimā conce-
 dat, quæ aīalia nullis usq; idonea (quod sciamus) senectus
 efficit, quid sit, quod hoī multo breuius æuum præfimerit.
 Soleo etiam quæq; indignari & succensere naturæ, quæ fla-
 gitiosos, homicidas, sicarios, sacrilegos, p̄ditores sæpe ad
 decrepitam ætatem sinat peruenire: bonis aut̄, probis, mo-
 destis, doctis (quorū consilio et prudentia Resp. niti ac cō-
 sistere deberēt) ætatem maturā deneget. Sed nescio quo fa-
 to sit, ut animi bonis naturæ cōmoda plerūq; non respon-
 deant, ut intelligas naturā siue, ut Christiane loquamur,
 Deum opes suas in unū aliquem cōfertim pfundere nolle:
 sed quasi paria facere. Ita quibus acre & uegetū ingenitū
 tribuit, iisdem frequenter debile et languidū corpus reclinat.

ORATIO FVNEBRIS

quit, quibus uastum, obesum, robustū corpus indulget, tan-
 tundem de ingenij uiribus & subtilitate detrahit. Et ne so-
 lum dei munera ingrati accusemus, nos studiosa turba ma-
 la propria sepe numero augemus. Bilem flauam aceruant,
 acuntq; studiū, cura, peruigilia, labor nimius: atram so-
 litudo & imaginationes crebre uehementesq; creant: pitui-
 tam colligūt umbræ et sellularia, ut sic dixerim, otia. Pu-
 tem igitur ea causa factum olim ut Peripatetici molliter in
 ambulando disputarēt, unde cognomen inuenerint? Sed ut
 Erasmi meminerimus, hic etsi sua quadā arte & industria
 obtinuit, ut septuagenariū annorum numerū conficeret,
 tamen ipsius mors nō potuit esse nō immatura, qui si sup-
 uixisset longius, poterat nutanti ecclesie dorsum manūq;
 quod aiunt, apponere: bonorū uirorū semp est immaturus
 obitus. Sed uixit satis natura, permittimus: uixit satis glo-
 rie sue, ultrò concedimus, at nobis parū uixit, qui alienis-
 simo Reip. Christianæ tpe sit ereptus. Sed in hoc tanto no-
 stro luctu & mœrore una superest cōsolatio, leuis ea qui-
 dem aliquibus uideatur, sed est tamen nōnulla. Enimvero
 conferenti tibi animū ad misérias horū temporū, unq̄ ne
 tot calamitates et ærumnas nos, non dico fando audiuisse
 aut in libris legisse aut uaticinanti dudū credere potuisse,
 q̄ quotidie uidemus? Non in uno angulo aliquo orbis ter-
 rarum bella & seditiones surgunt, non, ut olim, impressio
 Cymbrorum & Teutonū in Illiricū, non in Germaniam
 Vandalorū aut Gothorū irruptio, nō Incurratio Scytharū
 in Græciā, ut diui Hieronymi etate. Sed Oriens, Occidēs,

ORATIO FVNEBRIS

Meridies, Septentrio laborāt, quaquaversum patet orbis
 terrarū terraq; mariq; ad arma cōcurritur: Xerxes olim
 rex Persarum potentissimus cum ē quodā edito loco innu-
 merabilem multitudinē exercitus uiddisset, cōuersus in lā-
 chrymas dicitur, quod post centum annos nullus ex tanta
 multitudine hoīm superstes esset futurus. Ego si in eminen-
 tissimā aliq̄ specularē cōscendere possem, qua totū orbem
 terrarū oculis uestris subijcerem, ostenderem uobis hos in
 mutuā cadem furentes, ibi in castris tumultuari, hunc flu-
 etibus absorberi, illum in uada aut scopulos illisum obrui,
 aliquem ueneno hausto interire, alium laqueo praefocari,
 per insidias aliū interimi, breuiter infinitum quendā misere-
 riarum mundū uobis demonstrarem, non unius duntaxat
 exercitus interitū designarem, sicuti Xerxes. Bene ne igitur
 tibi cum illis actum uideatur, qui cū hac luce careant,
 ē tot ac tantis malis quaserint? Accedit alia cōsolatio et
 ea quidem, nisi fallor, paulo grauior, dummodo cum bona
 pace uestra, auditores, mihi concedatur humano quodam
 more de iudicijs Dei Opt. Max. aliquid commentari et
 aestimare, nō pronunciano quidem sententiā, quod teme-
 rarium foret, sed scepticorū more disceptando: Posit inq̄,
 sapientissima cōsilijs diuini dispensatione factum uideri, ut
 matura inuidia Erasmus rebus mortalium sit creptus, ut
 posthac posita cum morte uidelicet inuidia, ipsius opera
 maiore cū religione in manus sumantur et aequiore censu-
 ra causa eiusdem pagatur. Huius igitur uiri nomen gratā
 quadā recordatione prosequimini Auditores, qui tam co-

ORATIO FVNEBRIS

piose de uniuerso genere humano est promeritus, qui pro utilitate Reip. Christianæ nullos labores refugit, nō emulorum calumnias & impetus reformidauit, qui multos honores, multa præmia non pposita sibi modo, sed etiā parata suo illo ocio ad cōmunem utilitatem collato posthabuit. Cuius deniq; uita omnis bene docendi uiuendiq; exemplar fuit. Quare agite, O auditores optimi, huius uiri memoriā mecum celebratote, manes religiose uenerantor, et gratiā sempiternā habetote, ob utilitatē Reip. Christianæ questam, & non intermoriturū decus ac ornamentū Germaniæ partum. Nanq; hoc ad nos saltē, illud publice ac uniuersim ad bonos omnes pertinet.

IO. MARI ARMORICI IN LAVDEM

Erasmi Musarum principis inuictissimi Theologiæ
omniumque bonarum artium uindictis
atq; illustratoris celeberrimi
carmen tumultuarium.

Si fas cœligeris humanos plangere casus,
Et tangunt Clarios tristia fata choros,
Spernite iam Muse saltus Heliconis amœnos,
Phocidis & fonteis Aoniumq; nemus,
Quis solitæ celebres unâ celebrare choræas
Et cœlum lepidis tangere carminibus.
Nunc tempus Diuæ lugubreis effundere cantus,
Plangere & audaci pectora uestra manu,

IN OBITVM ERASMI.

Occidit heu fati telis Hollandius heros,
Qui uestras iuxit semper Erasmus opes;
Huius in exequijs Daphnæas urite lauros,
Vosq; iuuet querulis tangere plectra sonis,
Huic date Pegasiæ pro tanto munere Diuæ,
Eius ut in toto floreat orbe decus.

EIVSDEM ERASMI EPICEDION, eodem autore.

Inclita iam tantos sistas Germania luctus,
Nec dolor asiduo perluat imbre genas.
Quare tot lachrymis defunctum aspergis Erasmus?
In cælo uicta morte coruscus agit.
Huius fama replet totum memorabilis orbem,
Vt iam sit toto clarius orbe nihil.
Nam studijs Sophiæ illustrandis optimus heros
Promeruit laudes, omnigenumq; decus.
Ille bonas artes primus reuocauit ab orco,
Quas fera barbaries cordibus obruerat.
Sicq; fuit ceber Musarum ductor Erasmus,
Cui dedit auratam clarus Apollo chelyn
Olim quo nec erit, quo non fuit ante, nec isto
Tempore adhuc alius doctior esse potest.

Augustæ in officina Philippi Vlhardi.
Anno. M. D. XXXVI.

